

ras lapidis specie ovalis, magnitudi-
nis autem quæ hîc apparet, duplex fe-
rè ad fabam, fuscus, splendidus, levis,
mollis: ab vna parte simplicior, ab al-
tera lineas quasdam habet. qui Cerui
lachryma à recentioribus dicitur, &
Bezoar lapidi æquipollere existima-
tur. Hanc inspiciendã ad me misit do-
ctissimus medicus Adolphus Occo
Augustanus F.

CAPVT XIII.

PRO Capite XIII, quo Lapides ab
Auibus denominati, aut ex aui-
bus sumpti enumerantur, nõ alios in
præsentia pictos
habemus, quàm
qui hîc exhiben-
tur.

1. Hieraciten:
& 2. Perdiciten:
ab aliqua pen-
narum in his a-



uibus similitudine dictos. Eos autem
à Ioanne Kentmano accepi.